



Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

Abelly, Louis

Coloniæ Agrippinæ, 1659

§. I. Quomodo hoc quintum decalogi præceptum intelligi debeat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38979

§. I.

Quomodo hoc quintum Decalogi præceptum
intelligi debeat.

HOc præcepto, secundum explicationem amplioreni Christo Domino summo legislatore *S. Matth. 5.* appositam, tria præsertim prohibentur. Primum est quodcumque nocumentum corporale proximo injuste illatum, vel per seipsum, vel per alium jubendo, consulendo, consentiendo, aut alia quacumque ratione cooperando, explicatur in *Catech. Rom. part. 3. c. 6.* Secundum est quodcumque convicium, aut probrosum & injuriosum verbum, ex ira & vindictæ appetitu prolatum. Tertium est quilibet deliberatus iræ motus, & vindictæ appetitus injustus, etiam si neque actu, neque ulla verbo, aut signo exteriori se prædat. Hoc aperte colligitur ex his Christi Domini verbis *S. Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis: non occides &c. ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, raa, reus erit coenæ. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis Christus Dominus docet hoc Decalogi præcepto, non modo prohiberi homicidium, sed etiam quemlibet injustum vindictæ appetitum, & quodlibet probrosum & conviciosum verbum, aut aliud iræ & malevolentie exterioris signum: quibus veluti gradibus inter rixantes ad ultimum iræ & vindictæ effectum, homicidium scilicet, pervenitur, quæ peccata, cum mortalia sint, digna esse censentur æterna poena, quæ nomine iudicii, concilii & gehennæ, tamquam variis gradibus distincta, significatur, prout hunc locum explicant Hugo Cardinalis, Maldonatus, & communiter interpretes.

Si tamen plena rationis advertentia, & deliberatio esset; ut si vindicta aliqua levis duntaxat appetere peccatum non esset nisi veniale: imò nullum esset peccatum, si justa aliqua irascendi causa subesset, & si correderet

nis solum gratia verba aliqua asperiora proferrētur; dummodo tamen nec ira, nec lingua ultra præscriptos à recta ratione limites excurrat; unde S. Chryf. in illa Pl. 4. verba (*Irascimini & nolite peccare*) Licet, inquit, justè irasci. nam & Paulus Elima succensuit, & Petrus Saphira: sed id non iram dixerim absolute, sed Philosophiam, curam, & œconomiam: irascitur enim pater filio, sed ejus curam gerens: ille est qui temerè irascitur, qui seipsum ulciscitur. Et S. Greg. in c. 5. Job. Scien- dum est, inquit, quod alia est ira, quam impatientia excitat; alia, quam zelus justitiæ format: illa ex vitio; hæc ex virtute generatur.

Imò etiam ipsum homicidium actu perpetratum, quandoque justum, & licitum esse potest, ut in seqq. explicabitur.

§. II.

De homicidio, & mutilatione sui ipsius.

VM hoc præcepto prohibeatur occisio injusta & mutilatio, aut quavis alia corporalis læsio alterius; à fortiori etiam sui ipsius injusta occisio, mutilatio, & quælibet corporalis læsio prohibita esse censetur. Sunt tamen aliqui casus, in quibus occisio, vel mutilatio sui ipsius aut alterius justa, proindeque licita, esse potest.

Atque in primis quod spectat ad occisionem vel mutilationem sui ipsius, certum est gravioris alicuius mali, devitandi causa licitum esse se ipsum mutilare, aut ab altero mutilari permittere: ut si ad mortem evitandam, quæ ex putrefactione alicuius membri sequeretur, aliquis sibi ejusmodi membrum abscindat aut abscindi permittat, ut ex communi Theologorum sententia docet Tol. lib. 5. c. 6. quod quamvis possit, ad id tamen faciendum, aut permittendum sub peccato mortali non tenetur, sicut nec ad medicamenta quædam difficillima acceptanda, quamvis ex medicorum consilio ad vitæ, conservationem necessaria, ut observat idem author,

Cer-